

Semologia, seu discursus medico-botanicus de betula pro dissertatione inaugurali adornatus ... / [Johann Dietrich Leopold].

Contributors

Leopold, Johann Dietrich, 1702-1736.
Camerarius, Elias, 1673-1734
Universität Tübingen

Publication/Creation

Tubingae : Georg-Fridericus Pflücke, [1727]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/y7c9ujkr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

ΣΗΜΟΛΟΓΙΑ,

Seu
DISCURSUS MEDICO-BOTANICUS
DE

BETULA

PRO DISSERTATIONE INAUGURALI
adornatus

&

ASSISTENTE DIVINA GRATIA

Decreto & autoritate Inclyti Medicorum Ordinis
in alma Tubingensium Univerſitate

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXPERIEN-
TISSIMI ET EXCELLENTISSIMI

DN. ELIÆ CAMERARII,

Medicin. Doct. Sereniff. Würtemb. Ducis Confiliarii
& Archiatri nec non Prof. Ordin. &c. Facultatis
Medicæ Decani Speçtatiffimi,

Dn. Patroni & Promotoris in æternum devenerandi.

PRO LICENTIA

Summos in Medicina Honores & Privilegia Doctoralia
legitime impetrandi,

Solenni & placidæ eruditorum ventilationi subjectus

Ab Autore

JOHANNE DIETRICO LEOPOLDO,
ULMANO-SUEVO.

Ad diem 28. Jul. Anno MDCCXXVII.

TUBINGÆ, excudebat GEORG-FRIDERICUS PFLICKE.





L. B.



Ogitanti mihi dissertationis inauguralis thema, placuit simplicis cujusdam medicamenti structuram, virtutes atque præparationes conscribere. Allicuit hinc me primo plantula, non tantum amoenitate, sed & virtutibus sese commendans, Pinguicula. Ast texturæ & præparatorum descriptione jam absoluta manum de tabula traxi, cum de usu ejus salutari apud autores practicos paucissima invenerim, ætati & experientiæ maturiori reservaturus. Esto igitur Betula arbor satis celebris, cujus ad examen consilium tacite & stimulum addidit B. Ridlinus, Poliater olim Ulmenfis, observ. medic. Centur. altera

altera histor. XXV. p. m. 68. dicens : Non inutilem rei medicæ laborem illum aggressurum esse , qui in hanc arborem inquireret , & observationes de illa colligeret. Adjuvet Deus T. O. M. conatus nostros ; Benevolus vero Lector pro sua humanitate hæc bene consulet.

I. N. I.

DISSERTATIONIS DE BETULA

Seçtio I.

PHILOLOGICA.

Caput I.

De onomatologia Betulæ.



Uum primis nominum impositoribus non defuerint causæ , ob quas huic vel illi rei tale vel tale nomen imponerent , maximam nempe partem respicientes , tum ad qualitates , tum ad aliarum rerum circumstantias , ut convenient rebus nomina sæpe suis ; Non inconueniens fore arbitror , si ad meliorem declarationem sub auspiciu Betulæ Etymon evolvam. Petro Andreæ Matthiolo (a) sic dicta videtur , quod bitumine , seu bituminosa pinguitudine abundet , & quondam ex ea Galli bitumen excoxerint , teste Plinio. (b) Displicet vero hæc derivatio Ambr. Calepino (c) Romani , inquit , ex ea fasces conficiebant , qui magistratibus solebant præferri. Indeque nomen sortita est , & à batuendo (batuere enim cædere) Batula levi mutatione Betula. Arridet & nobis posterior hæc , quam & alii amplectuntur deductio , quod viminibus Betulæ batuantur vel cædantur pueri.

Missis

(a) Commentar. in 1. L. Dioscorid. de mater. med. c. 93. p. m. 141. (b) Histor. Natur. L. XVI. c. 18. (c) Dictionar. undecim linguar. p. m. 159.

Missis his placet porro dispicere, quibus Betula gaudeat Synonymis. Euchar. Röslinus (d) vocat Vibicen, forte quod virgis Betulæ cæsa tergora sæpicule vibicibus picturata conspiciantur, uti putat Jo. Bauh. (e) Sunt qui arborem sapientiæ nominant, terrent enim virgea hujus arboris pædagogorum sceptrâ pueros, ut, qui amore virtutis sapere ac discere nolunt, sapere discant formidine pœnæ. Unde Jo. Lauterbach: (f)

Emendat rigidos puerorum Betula mores.

Quod Germani ita exprimunt: Eine gute Bircken-Ruth macht die bösen Kinder gut. Hanc virtutem ex astris derivare studet August. Etzlerus. (g) Andr. Cæsalpinus (h) salutât arborem Populo albæ similem in alpibus. Trago (i) est papyri species. Græcis dicitur Σίμυλον, vel ut Theophrastus (k) scribit Σημίδα. Polonis Brzoza. Hungaris Nyirfa. Gallis Bouleau. Italis Betula. Tridentinis Bedollo. Bohemis Briza. Britannis Bedu. Germanis Bircke, Berchbaum, Meyen.

Cum vero Betula ob denominationes aliquot plantarum, vocabulo Betulæ valde affines, facile confundi possit, notandum, nos per hanc non intelligere Betulum Lobel. (l) à Casp. Bauh. (m) Ostrya Ulmo similis fructu in umbilicis foliaceis dictam: Nec arborem Betel, vel Betol, cujus fructus, Areck dictos, pro cibo & conficienda massa illa, Terra Catechu dicta, Indi colligunt, de qua Scaliger (n) & Jo. Juncker. (o): Multo minus Pyrolam, quam quidam perperam nomine Betulæ salutant: Beccabungamque Officin. quæ alias Berula audit. Familias, urbes & flumina, quæ Betulæ nomine intitulantur, B. L. facile excipiet.

Sectio II. PHYSIOLOGICA.

Cap. I. De Vegetatione Betulæ in genere.

Articulus I. De modo Vegetationis.

QUUM ea naturæ sit ratio atque conditio, ut, quicquid nascatur, denasca-

A 2

(d) Herbario. (e) histor. Plantar. univers. L. VIII. c. 5. p. m. 149. (f) Poëmat. L. VI. class. 5. (g) Isagog. Physico-Magico-Medica. (h) de plantis. (i) Stirpium histor. p. m. 1114. (k) histor. Plant. L. III. c. 14. (l) Icon. seorsim cul. (m) Pin. Th. B. p. m. 427. (n) Exotic. Exerc. L. XV. de subtilit. p. m. 496. (o) Conspect. Therap. gener. Tab. XVI. p. m. 450.

denascatur vicissim , prospexit sapientissimus rerum omnium conditor plantis , universali huic legi præ aliis maximam partem obnoxiiis tam largo fœnore & tam copioso semine , ut Malpigh. (p) pro sola fœtura pleraque vegetabilium genera vivere videantur. His ergo tota plantarum familia ortum debet feminibus , sive , si mavis cum Celler. Verdries , (q) ovulis , ovis animalium similibus , in quibus vegetabilium inde deducendorum rudimenta & prima stamina , ipsaque vegetabilia cum omnibus suis partibus , non potentia , ut olim credebant , sed actu delitescunt.

Quem vero processum ad seminis Betulæ evolutionem & successivum incrementum natura servet , paucis differam. Semen itaque Betulæ , vel ventis , vel arte , hominum manu , terræ communi viventium matri commissum , in fœcundo hoc terræ gremio per aliquot tempus secure satis dormit , & ab asperioribus auræ inclementioris occurribus munitur , ejusque calore fovetur. Postea sensim à succo nutritio , variis particulis \ominus inis , ∇ eis & \circ is imprægnato , per involucria feminum transeunte , laxatur , lactescit , & inflatur , donec , debita acquisita turgescencia , luminis auras affectet , & natura , ut illo Poëtæ utar ,

- - - tenues tunicas disrumpat aperte ,
Et medio tandem tradat de semine germen.

Quod cum non amplius hocce modo possit nutriri , radiculæ elaborationem in se suscipit , qua convenienter exasciata & aucta , idoneum per hanc è terra acceptum nutrimentum attrahit , versusque plumam & lobos dirigit. His partibus gradatim auctis & explicatis , modo sursum , modo latera versus dispergit , & sic ramos & frondes sedula , sed invisibili , manu stupendo artificio fabricat , & totum denique arboris nomen expandit. Placet hic apponere quod hoc de opere pie & eleganter Poëta quidam canit :

Gratia quanta Dei ! Naturæ quanta potestas !
Queis velut ex nihilo res venit ampla suo.

Aspice

(p) de Semin. vegetat. p. m. 1. (q) Conspect. Philos. Natur. Part. Special. cap. VII. §. 1. p. m. 601.

Aspice telluris data semina parva Betullæ,
 Quæ , dum rura ferunt , flexilis arbor erunt.

Occasione vegetationis Betulæ sciscitari hic etiam lubet , quid de decantata adeo metamorphosi Fagi in Betulam , & hujus in alias plantas sit statuendum ? Admiranda , sed non facile credenda , Sonii saltus accolæ referunt , fide Jonsthoni , (r) quod Fago cæsa subnascantur ex eodem trunco Betulæ. Et Bodinus , citante Jo. Christ. Nehring. (s) illud , inquit , in natura fere perpetuum est , ut in locis stirpium præstantiorum deteriores subnascantur : vetustis enim Quercuum & Fagorum arboribus recisis Acer aut Betula , mortua vero hac Ligustrum aut Viburnus , aut quid aliud , ad extremum Juniperus , Filix , Genista , Paliurus &c. progignitur. Assentitur his Dan. Ludovici (t) scribens , post resectas Abietes Betulas eodem loco nasci , & alium succum plorare. Cum vero nulla planta , ut pluribus ostendit Joach. Jungius (u) ex iis , quæ sponte oriri sine semine putantur , sine semine oriatur & sequatur , canente Catullo :

Naturæ omnis res semina quæque sua,
 merito hæc haud vilioris alias eruditionis virorum relata suspecta videntur , & potius cum Jo. Bauh. (x) ita enodanda : Quando Fago , inquit , Betula succrescit , existimo Betulæ semen ob tenuitatem à ventis facile transferri. Solum ergo nactum & terram commodam facile apprehendit. Talis vero solet esse ubi Fagi proveniunt , quarum trunci & radices , excisa arbore , facile putrescunt & terram levem efficiunt , quam facile deinde subeat semen Betulæ atque germinet. Betula namque terra pingui & crassa , aut saxosa semine non bene provenit , at levi facillime.

Articulus II. De Patria Betulæ.

Betulam nostram non una fert regio , & non tantum in Europa , sed & in Tartaria non est ignobilis arbor. De Tartaris fertur , quod quotannis mense Martio ∇m , ex Betuletis suis petitam , potent & sic

A 3

fani-

(r) de arborib. p. 434. (s) Palingenes. Georg. Franci de Franckenau cap. XI. §. 127. p. m. 112. (t) Ann. IV. Miscel. Natur. curios. Dec. I. p. 258. (u) Doxoscop. Physic. min. Part. II. Sect. III. Fragm. IV. cap. 5. (x) l. c. p. 120.

sanitatem mirum in modum conservent. In Europa ubique ferme nascitur. In Brabantia adeo sterilibus alias locis, ut ne herbam quidem producant, egregie viget, teste Jonsthono l. c. In Helvetia Sundcovia & impr. circa Basileam magnas crescere arbores, optimeque provenisse in illo circa Montbelgardum Illust. Principis manu confito Bettleto Jo. Bauh. l. c. autor est. In Hercynia, Saxo-Thuringia atque Brocoburgo lætissime vigere tradit Jo. Thalius. (y) In Misnia, fide Gesneri (z) non infrequens arbor est. In multis Galliaë sylvosis, potissimum in agro Aureliaco, abundare ab amicis accepi, quare & Plinio l. c. Gallica arbor audit. Ex Gallia in Italiam translata fuisse à Romanis, scribit Calepinus l. c. In Curlandia noster arbor etiam invenitur, und schreibet Excell. D. Weygand (a) das 2 $\frac{1}{2}$. Meile von Goldingen ein von den Heyden sacrificirter Busch mit vielen melirten alten Bircken und Eichen stehe, welche Boscage die Bauren durchgehends auß altem Aberglauben biß dato für sehr heilig halten. In Suevia, & impr. ejus metropolis Ulmæ agro, qui vegetabilibus

Deliciis plenus castis, & munere certat,

uti ex Floræ Ulmens. amœnitatibus edendis patebit, ubique luxuriat. Cum vero Plantæ diversam soli rationem & diversum situm exposcant, paucis hæc etiam indigitamus. Quod itaque soli qualitatem attinet, quo arbor nostra gaudet, arenosum, leve & aquis vicinum sit: Situm vero frigidis ventis expositum amat atque opacum. Unde Celeberr. Brockes, Cygnus ille blandus atque canorus (b) canit:

Es machen hier der Bircken weiße Rinden,
Die in den dunckel-grünen Gründen
Mit tieffgesencktem Haupt und hohen Stämmen steh'n,
Die Anmuth dieses Orts noch einst so schön:
So deutlich bildet sie der Widerschein,
Daß sie fast anzusehen seyn,
Als ob der unterst mit dem obersten zusammen
Auß einer Wurtzel stammen.

Arti-

(y) Sylva Hercynica. (z) Sylva observation. variar. p. m. 218. (a) Sammlungen von Natur und Medicin &c. 33. Versuch p. 528. (b) im irrdischen Vergnügen in Gott p. 203.

Articulus III. De speciebus Betulæ.

Betulæ nostræ familiam parvam esse, nec descendentium numero gloriari atque superbire pleraque Botanographorum scripta docent, dum communiter tantum Betulæ arboris mentionem faciunt. Cum vero hæc, & gradu dimensionis, atque virgarum nunc magis, nunc minus tenuium positu differet, tres ejus species constituere placeat. Prima itaque sit Betula arbor virgis erectioribus, Germanis Rauhe Bircke; Gaudet hæc ramis crassioribus, minus flexilibus atque hinc etiam minus pendentibus, quæ ad scopas utilissimas. Secunda sit Betula arbor virgis pendentibus, Germanice Hangel-Bircke, prædita virgis tenuioribus, flexilioribus, versusque terram inclinantibus, quæ ad virgas & fascias accommodatissima. Tertia est Betula arbuscula quæ fruticem magnitudine non excedit.

Articulus IV. De ætate Betulæ.

Arborem nostram, mirabili candore & canitie venerabili superbam, durabilem admodum esse præter historias satis annosarum Betularum & dicitur ratio & probat. Docet Clariss. Willis (c) quod plantæ, in quibus \ominus abundet cum mediocri \oplus & exigua \cup uum quantitate, sint ut plurimum longævæ grandiusculæ, aut tota hyeme viridescant, aut, licet folia decidant, succum nutritium sub cortice asservent. Cum ergo liqueat encheiresi spagyrica in Betula \ominus \odot osum $\circ\circ$ & pauca volatilitate dispersum esse, merito huic ætatem denegare non possumus. conf. Königius (d) & Lemery. (e) Præter hæc etiam constat, sylvestres & incultas plantas esse longæviores & longe feliciter crescere, quam cultas, quod etiam Poëta confirmat cantans:

Nonne vides plantas sylvestres crescere lætas,
Et salvam vitam per secula ducere multa.

Liceat huc referre illud Regii Prophetæ Davidis (f) die Bäume des HERRN, quod Reverendiss. Hillerus (g) ita explicat, die wilde
Bäume

(c) de Fermentation. cap. 4. p. m. 14. (d) Regno Vegetab. Quadrip. p. m. 575. (e) Lexic. material. p. m. 162. (f) Psalm. 140. v. 16. (g) Hierophytic. cit. in der aufserlesenen Theologischen Bibliothek 15. Theil p. 243.

Bäume sind voll Safts, ob hanc enim succi nutritii ubertatem læte crescunt, summamque ad ætatem pervivunt. Recordor etiam hac occasione rationis, quam hac de re Excell. D. Alexand. Camerarius ante annum in horto medico dulcissimo ore ex Æsopo tradidit. Cum n. olitor, dixit, hujus rei causam peteret, respondit, nunquam compertum est, novercam ea sedulitate fovere privignos, qua matrem libros complecti videmus. Terram autem, certum est, esse sponte nascentium quasi parentem, insitorum vero novercam. Quare illa, ut mater alit & vegetat, hæc, ut noverca multo segnius curat, ac potius, quod ab his avertere ad illa potest, id studiose facit.

Caput II. De Vegetatione Betulæ in genere.

Examinato & evoluto ordine vegetationis, patria atque differentia, ætateque Betulæ, pergimus proxime inquirere in visibilem partium ejus singularum constitutionem, & quidem

Articulo I. De radice Betulæ.

Uti Betula nostra præ pluribus arboribus hoc peculiare habet, quod licet aliis à latere sit, & in uno sæpe confinio crescat, nihilominus largissima succi nutritii quantitate prædita jam ante veris initium cernatur; sic etiam in illa peculiarem radicis formam deprehendimus. E corpore radicis pro varia ejus ætate crassæ & mirum contortæ, modo ascendentis, modo descendentis, emittuntur appendiculæ innumeræ, crassitudinis modo calami scriptorii, modo culmi triticei, sub arenis ad 40. & amplius pedes prorepentes, quæ quasi vel manus emissæ per subjectum solum tam largam alimoniam quæritantes, vel mammulæ peculiare tam copiosum succum nutritium excernentes. Structuram quod attinet, tecta est cuticula subtilissima, coloris spadicei seu punicei, instructa exiguis, qui succum absque discrimine affluentem remorantur, & aptum magis recipiunt, poris. Subjacet substantia corticalis, corpusque lignosum de quibus articulo sequenti.

Articulus II. De Betulæ trunco cum suis partibus.

Considerata radice, ad ejus productionem, quæ ab hac statim simplici caulice brachiata ramis, surculosa, dissolutuque contumax
assur-

assurgit, spectatum eamus. Offert se in hac primo cuticula omnes trunci partes investiens. In juniore Betula tenerrima & tota quanta rufa aut fusca albis interlita maculis apparet. Adolescente arbore in trunco, ramisque majoribus, minoribus illam junioris æmulantibus, crassior fit & frequentes in philyras, instar membranæ pellucidas, ductilis, mutatque colorem in albido carneum rubris lineis variegatum. Hac remota, substantia corticalis, per totum Betulæ corpus extensa, in recenter cæsa pallidi, in sicca vero rufescentis coloris, conspicitur. Fabricata est ex tubulis, valvulis venarum instar præditis, moderante aëre succum per circulum revehentibus, conjunctis simul utriculis horizontalibus liquorem asservantibus, in quibus transparentes & ut plurimum tetragonas, forte ex liquore ortas, moleculas mensibus hyemalibus nuper observavi. Satis crassa est hæc substantia in trunci parte superiori, & media, circa radicem vero crassissima, & impr. in arbore annosa fissuris profundis prædita, aspera fit, inæqualis & crustacea. Unde forsitan vulgus scabie maligna laborantem describens formulam petiit: Er hat einen Leib, oder Hände, wie eine birckene Rinde. Pars proxima est corpus lignosum, eximio albore sese commendans, in quo præter fistulas ligneas, per longum ductas, ingentem vasorum aëreorum numerum in anatomia vegetabilium curiosi detexerunt. Qualitatem hujus quod attinet non adeo durum, magis tamen rigidum est, ex observatione Nehem. Grevii: (h) Illud ob copiam vasorum aëreorum, hoc vero ob o*o*i defectum fieri putat. Sequitur medulla, in ramulis minoribus virens, in majoribus vero, & trunco ferme arida & fusca evadens. Sub his trunci Betulæ partibus continentibus, tanquam pars contenta locum hic etiam gestit dulcis ille & limpidissimus Betulæ liquor, ab autoribus, nunc Synovia (more n. saniei quam plorant vulnera extillat) nunc Ens primum, nunc Balsamum, nunc Lacrymæ &c. intitulatus, contra varios C. H. affectus commendandus atque petendus. Invenitur hic liquor in nostra Betula copiosissime circa instans veris tempus: Unde Poëta annum formosissimum advenientem describens canit:

B

Fron-

(h) Anatom. Truncor. Part. II. cap. VII. p. 179.

Frondebis en plenos oculos jam Betula trudens
De trunco læso mittit aquas salubres.

Notant curiosi quod si hyems acerbior fuerit major Synoviæ quantitas obtineatur quam si fuerit mitior. Acquirendi modum docet Helmont (i): Man schneidet oder bohret, inquit, entweder in die Rinde der Bircken, nicht weit von der Erden am Stammen, da dann ein Safft so gantz wässericht und schier ungeschmack herauß fließt; oder man öffnet einen Ast, der etwa 3. Finger dick biß an die Mitte hinein, füllet das Loch mit Wolle auß, so rinnet ein anderer Safft, der nicht unangenehm und etwas säurlicht ist, herfür: und ist also derjenige stärker, der oben auß den Aesten rinnet, als der unten am Stamme herauß fleußt. Collectum hac ratione liquorem, vel affuso $\circ\circ\circ$ Oliv. vel in vasis & lagenis bene clausis, impr. ☿ ratis, cella frigida asservare solent. Cum v. nihilo secius facile ace scat, aliis modis præservare student de quibus infra Sect. III. c. 1. Latissimus de hac liquore sese nobis aperiret dicendi campus, ast brevitatis studio B. L. ablegamus ad Thümigium (k) & Abb. de Vallemont. (l) Omittam & fabulam rusticorum Curonicorum de origine succi nostræ Betulæ cujus mentionem facit D. Weygand. (m) Antequam abeamus à trunco, placet paucis notare partes, quæ huic non raro acrescere solent. Fungum flavum Rhabarbaro non absimilem ex trunci medii substantia Schwenckfeld (n) nasci refert. Ego non semel inveni illas excrementas tuberosas, vulgo Bircken-Kröpffe dictas, mire intorto, crispo & varie undulato macularum discursu scriniariis sese commendantas. Præter hæc in ramis majoribus non infrequens etiam est viscum aliis arboribus læte adnascens.

Articulus III. De foliis Betulæ.

Pergimus ad ornatum nostræ Betulæ, qui sunt folia, ex laxatis gemmarum repagulis erumpentia, singula singulis tenuibus pediculis pen-

(i) Vom Stein im Menschen p. m. 490. (k) Versuch einer gründlichen Erläuterung der merckwürd. Begebenh. in der Natur 1. Stück. obf. X. p. m. 68. (l) Merckwürdiggk. der Natur und Kunst &c. (m) l. c. p. 530. (n) Catalog. fisp. & fossil. Silesiæ. p. m. 30.

pendentia. Cum vero folia , uti ex Grevio (o) & avtopſia conſtat, nihil aliud ſint , quam ſpecioſa partium ramulorum continuatio , & ideo in ſubſtantia eadem , videmus qua ratione id in noſtra arbore contingat. In extremitate ramulorum ex ultima fibrarum deſinentia oritur nodulus ſeu tuberculum minimum , quod quaſi per gomphoſin , vel inſtar clavi inſigitur cavitati petioli ſ. pediculi. Quo pollicis latitudine prolongato dilatat ſeſe , atque totum folii nomen expandit. Partibus iisdem quas cæteræ partes habent inſtructum eſt. Primo ſe offert cuticula admodum ſubtilis , coloris pallidi , & transparens, ſub qua ſubſtantix corticalis pars ſubtilior pinguis , ſuccum quendam concretum viridem referens , obſervatur. Quo autem Parenchyma hoc , ne diffluat , tueatur & figura folii conſervetur , per ejus medium nervus , à ramificationibus corporis lignoſi ſeu ligno ramoſo ortus, diſcurrit , ex quo utrinque alternatim minores , ad mucrones in extremitate uſque extenſi , proveniunt. Figuram quod attinet , quidam Pyri , Coryli nonnulli , alii Alni folio comparant. Exactius vero folium Populi referunt. A baſi latiori in mucronem deſinunt , ſemperque tremulo horrore moventur , & eleganter per ambitum inciduntur ; in facie ſuperiori ſaturatius virent , lævoreque ſplendent , inferiori vero ſubhirsuta aliquatenus , punctulis albis diſtincta , apparent. Apprime hinc noſtris foliis , quod de aliis ſcribit Celeb. Brockes , (p) convenit

Es ligt auf jedem Blat,
 Indem die äuffre Fläche glatt,
 Vom Sonnen- Glantz ein weißer Schein,
 Wodurch ſie nicht nur grün , nein auch vergüldet ſeyn.
 Wann nun die Luſt ſie ſanffte reget,
 Und ihr beweglich Laub beweget,
 So ſiehet man auf ihren regen Spitzen
 Viel kleine Lichter lieblich blitzen.

Cæterum notamus , hunc foliorum Betulæ ornatum non perpetuum eſſe , ſed uti in aliis fit , corrupta prius ab humore ſtagnante

pediculi portione , prope eruptionem decidere , antequam contristat
aquarius annum ; veris vero tempore iterum renovare ex ramis. Ob-
servantur quandoque in foliis nostræ Betulæ vesiculæ , vermiculos per
æstatem & muscas continentes , contagii indices vulgo suspectæ. No-
tat vero Excell. Velschius (q) quod licet tales A. R. S. 1674. non
tantum in nostra arbore sed etiam in Populo &c. frequentes fuerint
tamen Dei gratia nihil mali evenisse.

Articulus IV. De floribus Betulæ.

Multi sunt , qui Betulam nostram floribus , pleni veris & re-
nascentis anni indicio arborisque gaudio , ornari prorsus inficiantur ,
& tantum quædam suæ germinationis præludia ostentare putant.
Quodsi vero paulo accuratius inspiciamus ,prehendemus illud , quod
compactili callo racematim cohæret , & veluti prælongus vermis
singulari pediculo pensile nititur , nihil aliud esse , quam flores , sed
tristes sine fructu & steriles , id est , fructus esui non apti , vel quo
homines vesci nequeunt , prodromos. Sunt vero Tournefortio (r)
flores amentacei , plurimis sc. foliolis s. squamulis , primo viridis , dein-
de fusci coloris , ordine nucis pineæ axi seu capillamento affixis , apici-
busque s. staminibus luteis constantes. Tempus florendi si desideras ,
est amœnissima veris tempestas , antequam folia in arbore proveniunt.

Articulo V. De semine Betulæ.

Flores Betulæ squamosi , debito suo munere defuncto , coguntur
in fructum durum cylindræum , sub cujus squamis , axi affixis , occur-
runt semina parva & levia , figura paleacea , seu , ut cum Tourne-
fortio loquar , alata prædita. Integumenta seminis Betulæ rubent ,
partes vero organicæ inclusæ subalbicant. Ut plurimum sponte sua
decidunt , & à ventorum impetu in aëra sublata huc & illuc disper-
guntur , sicque sæcundo matris terræ utero commissa , novæ Betulæ
evadunt. Fit vero id Julio , aut tardius , pro natura loci & anni ,
fructu cylindræo bene siccato.

Caput

(q) Hecatost. I. Observat. Medico-Physicar. histor. 100. p. m. 128. (r) Insti-
tution. Botan. Class. XIX. Sect. III. Gen. VII. p. 488.

Caput III. De descriptione Betulæ.

Patet itaque ex dictis, Betulam nostram esse arborem, nunc pumilam, nunc satis proceram, radice ad 40. & amplius pedes prorepente, trunco cute alba papyri instar vestito, foliis speciosis ad cor accedentibus, floribus amentaceis, semine alato, in structam, varias utilitates miseris mortalibus præstantem. Generis loco posuimus arborem esse Betulam, & hoc, uti spero, non adeo male: Nam Betula, quam pumilam vocavi, ad arbusculæ formam, vel per se, vel abscissione stolonum, facile perducitur, & ita gradu dimensionis saltim externæ à Betula arbore differre videtur.

Sectio III. PHARMACEVTICA.

Cap. I. De præparatis ex Synovia Betulæ.

I. **A** *Qua depurata*: Instituitur depuratio, vel destillatione communi modo ex cucurbita, vel fermentatione, ad quam Synovia valde proclivis est. Fit autem ex relatione D. Weygand (s) ita: Man läßt das Bircken-▽ kochen, und schäumt unter selbigem den schwartzen Schaum ab; läßt es laulicht-kalt werden, gießt es in Tonnen, legt etwas Sauerteig oder Eichen-Rinde, und gequetschte Bocksbeer-Strauch (grassul. non spinos. fr. n. C. B.) darein, spündet es wohl zu, und wann es nach dem Fermentiren abgestanden; so wird von jedem nach Belieben davon getruncken. Qui desiderant ▽as compos., quæ ex Synoviæ accessu virtutem sortiuntur & nobilitatem, adeat B. T. von Guldenklee (t) Decker. (u) & D. M. B. de Bernitz. (x)

II. *Rob. s. Extract.* Fit hoc autore Ettmüll. (y) abstractione phlegmatis insipidi. Datur vel ~u propr., vel vino juniperin. malvatico, vel ▽ appropriatis solutum.

B 3

III. *Ac-*

(s) l. c. p. 530. (t) Casib. med. p. 398. 401. 403. & Epist. p. 443. 445. 446. 450. (u) Exercit. Pract. p. 622. (x) Fascic. II. med. secret. Cnœffel. ann. VI. & VII. E. N. C. annex. (y) Coll. Pharm. in Schr. p. 401.

III. *Acidula*. Docet Tilleman (z) si arbori solut. ☉i vel ☾i implantatum fuerit, nullis ☩dulis succum ejus cedere, præf. si Q. E. ☉li participant. Sic ros. ☉li à ʒij ad ʒj.

IV. *Limonadam* gratissimam ex Synovia nostra, addito succo citri, Sacch. & Ess. citri D. M. B. de Bernitz l. c. parat.

V. *Syrupum* exinde etiam conficiunt more aliorum R. ▽ Betul. depur. ℥viiij. Sacch. ℥ij. coq. ad consist. Syrup. Annotasse hic etiam juvabit, Ettmüller. (a) varia cum ▽ nostra instituisse experimenta, quæ brevitatis studio omittamus.

Cap. II. De præparatis ex foliis Betulæ.

I. *Aqua destillata* fit ex tenellis noviterque erumpentibus foliis ad genium ▽æ dest. fol. Querc.

II. *Cerevisia* cujus conficiendi modus apud Helmont. est seq. Man nimmt die zarten schwartzlichte Aestlein, welche voll strotzender Knospen, zerschlägt dieselbe, und läßt sie mit dem ▽, so man zum Bier-Brauen braucht, sieden; thut hernach zu solchem Bier Sem. Dauc. oder Beccabung. nebst der Synovia hinzu.

III. *Extractum* quod ex foliis sicc. Betul. cum ▽ parant.

Cap. III. De præparatis ex ligno & cortice Betul.

I. *Spirit.* & ☉☉: Sic eliciunt: Reple ☉ cortice Betul. in parv. frustul. dissect. destilla in ☉. Δe fort. subdito & prodibit primo ☉us ☩dus, quem sequitur ☉☉ empyrevmaticum. Hoc peracto rectifica ex cucurbita, separa ☉☉ à ☉u & s. a. u. Qui aliam ☉☉i præparationem desiderat, adeat Carrichter, (b) qui ad cælum usque extollit.

II. Axungia, Pix liquida & Bitumen alias, Curonice Deggut vel Dagget, Germanis Theer dicta, ex cortice usto à Borussis rusticisque Curonicis non tantum ob medicos usus, sed & æconomicos commendanda conficitur, teste Plinio, (c) Frischio, (d) Weygando, (e) Gottsched. &c. (f)

III. Sal

(z) Mater. med. p. m. 309. (a) Tentam. Chym. Tom. I. oper. med. Theor. Pract. p. 343. annex. (b) Kräuter-Buch p. m. 119. (c) Hist. nat. L. 16. c. 18. (d) in præf. VI. Part. de insectis. (e) l. c. p. 535. (f) Flor. Boruss. p. 27.

III. Sal ex cineribus per affusam aliquoties ∇ m elicitur ; Lixivium deinde filtratur & coquitur donec ∇ exhalet & \ominus in fundo relinquitur \odot o aliquomodo affine.

Sectio IV. THERAPEVTICA.

Caput I. De viribus Betulæ generalioribus.

Articulus I. De qualitatibus Betulæ.

Pergimus jam ad usum nostræ Betulæ , de quo quidem apud veteres omnes altum fuit silentium. Quare & Dodon. & Ruell. in medicina nullius usus Betula est , baculis tantum & scopis nascens : Ast , ut recentiorum observationibus constat , multi adhuc ægri ab hac veneranda arbore poplite curvato sani gratique redibant. Ob variam in variis ejus partibus principiorum mixtionem , dum in hac nunc \ominus , nunc \ddagger , nunc ∇ , nunc ∇ &c. præpolleat , varios edit effectus. Cortex ob principium longius bituminosum , & \circ sum pariori \ominus & ∇ a intermixta emollit , calefacit , resolvit , adstringit , siccatur &c. Fol. ob succum \ominus osum & amarum , paucisque \ddagger eis partibus intertextis , abstergunt valde , aliquantum resolvunt , attenuant , discutunt , vermes necant , adstringunt tonumque roborant. Liquor ob mirabilem mixtionem multas præstat vires. Humiditate suarum partium nimium tonum relaxat , diluit , abstergit ; Ob \cup ositatem partium tubulos permeat , aperit , resolvit , sudorem movet , discutit : Ob \ominus \odot osum orgasmum sanguinis demulcet , temperat , \square m provocat. A partibus \ddagger eis vim possidet aliquatenus balsamicam , corruptionemque putredinosam inhibentem. Fungus ob partes \ominus inas ∇ stres & paucas stypticas adstringit , hinc in levioribus vasorum læsionibus non sine fructu adhibetur.

Articulus II. De noxa Betulæ.

Licet medicamenta ex Betula petita in Praxi medica amplissimam ostendant utilitatem , & magnos sæpe morbos profligent , non desunt tamen aliquando circumstantiæ , quæ horum usum prohibent. B. Rid-
h. (g) inter primarias refert ventriculi imbecillitatem , quam mirum
quan-

quantum augeat Synovia Betul. humiditate sua , frigiditate sua. In Corporibus cacochymicis suspectam eandem etiam habet Wedelius, (h) observans in hisce ab intempestivo ejus haustu & nimio Diabetem lethalem.

Cap. II. De viribus specialioribus Betulæ.

Articulus I. De morbis internis.

Betula nostra uti in foro facinorosis , uti in scholis pueris immorigeris ; sic in medicina plurimis C. H. hostibus , morbis inquam , terribilis est

I. In affectibus capitis.

In *cephalalgia* magno commodo , non neglectis tamen universalibus , plures tempore veris bibisse refert Dolæus. (i) Orgasmmum enim sanguinis ob \ominus \oplus osum demulcet , discussionem simul & æqualem circulationem promovet , obque humiditatem tonum fibrarum strictiorem laxat. Externe Celeberr. Salzmänn. (k) Anat P. P. Arg. quem Musa vetat mori , seq. spec. pro cucuph. pro iis qui ordinaris ferre nequeunt , communicavit : ℞. fol. Betul. Mj. Majoran. Lavend. Rorismar. aa Mß. Cort. Sassafr. ⚗ sat. ℥j . Caryophyll. ℥j . M. F. ⚗ subtiliss. indatur Syndon. rubr. pro cucupha.

In *Mania* Friccus (l) nullis medicamentis succum cedere refert.

In Affectibus *fancium* , ob vim insigniter abstergentem , Wittichius (m) aliique Synoviam vel ∇ dest. commendant. Et certe non inconveniens medicamen erit si c. syr. de ros. sicc. mell. rosat. &c. misceas.

II. In affectibus Thoracis.

In *Pleuritide* non vane laudatur Synovia ob vim temperantem , diluentem , resolventem , spasticam stricturam demulcentem & abstergentem. Quo scopo B. Tim. von Guldenklee etiam (n) ∇ destill. exinde componit.

In

(h) E. N. C. Dec. I. ann. 2. obs. 198. (i) Encyclop. med. L. I. c. 1. (k) Coll. Pract. in Nentr. Fund. med. (l) Paradox. med. IV. p. 124. (m) Vademecum p. 141. (n) Cas. medic. p. 398.

In *Phthisi* non ultima laus est *Synoviae*, quæ bene fermentata non adeo inveteratam curet, fide *Tillemanni*. (o) Satisfacit vero virtute temperante, resolv. absterg. Impr. vero in *Phthisi scorbutica*, herbis antiscorbuticis & balsam. affusam commendatam legi.

In *Hæctica* ob vim absterg. temperant. resolv. & materiam per m evacuantem cum variis herb. radic. & cort. deobstruentibus *Dolæus* (p) liquorem *Betul.* deprædicat.

III. In affectibus abdominis.

In *Colica* folia *Betulæ* 4. l. ʒ. ☿sata calido vehiculo propinare suadent *Juncker*. (q) & *Nenter*: (r) Satisfaciunt vero subadstringente, & simul nonnihil aromatica & tonum roborandi efficacia. *D. Huld. Pelarg.* (s) schreibet, daß ein Töpfers-Geselle in einer hefftigen *Colic* etlichmal augenblickliche Linderung bekommen, wann er 3. Blätter solches Laubs von einer Weide, damit eine Garbe-Korn gebunden gewesen, zu ☿ gestossen, im Getränke eingenommen.

In *malo Hypochondr.* Eximia efficacia *Synoviae* à *König*. (t) *Ettmüllero* (u) aliisque adscribitur, ob vim diluentem, aperientem, & antiscorbuticam. Hinc & *Lindan.* (x) hoc aliisque morbis melancholicis *Ess. Croci* cum ∇ *Betul.* factam commendat.

In *Ictero* meretur quoque *Synovia* nostra suas laudes ob virtutem resolv. abstergent. diuretic. & nonnihil diaphoretic. teste *Rein. Solemand* (y) *Wittich.* (z) aliisque. Hinc *B. T. von Guldenklee* (a) hujus morbi curationem auspiciatur formula seq. ℞. ∇ *Betul.* ʒvj. *fragor. Cichor.* aa ʒij. *Syrup. aperit.* ʒiv. — \ominus is gtt. XV. M. pro ʒ. dosib.

In *Scorbuto* summa efficacia liquori *Betul.* assignatur. Sunt n. huic præter virtutem aperientem, attenuantem, abstergentemque,
C
non-

(o) l. c. p. 309. (p) l. c. L. IV. c. 4. p. 739. (q) *Consp. Med. Theor. Pract.* p. m. 572. (r) *Fundam. med.* p. m. 140. (s) *Observ. Clinic. ann.* 1721. p. m. 172. n. 9. (t) *Regno Veget. Bipart.* p. m. 232. (u) *Coll. Pharmac. in Schr.* (x) *Coll. supra Hartmann. Prax. chymiatr.* c. ʒ. (y) *Conf. med. Sect. III. conf.* 10. p. m. 250. (z) l. c. Part. I. p. m. 364. (a) *Cas. med.* p. m. 144.

nonnihil balsamicæ partes. Jubet hinc Ettmüller. (b) nodulum ex antiscorbuticis , v. g. rad. caryophyll. bacc. junip. &c. in cerevis. & liq. Betul. aa parare , & Dolæus (c) Synoviam ▽ Trif. fibr. diluere , & per ☒em singulis diebus ℥ij. ad ℥ij. sumere.

In *Hydrope* ob vim insigniter diureticam & aperientem non contemnendus erit Synoviæ usus fide Th. Bartholin. (d) Jonsthono (e) cum ▽ Sambuc. propinata Synovia hydropicorum levamen dicitur. Et Sim. Pauli (f) refert , quosdam folia decoctis & Epithemat. miscere , ut serum intercus hac ratione proluciant.

In *Lumbricis* axungiam Betulæ , intus & extus adhibitam Jo. Gottsched (g) commendat. Impr. m. hoc scopo Extract. fol. dilaudat Zorn. (h) , quod , ut efficacius operetur , cum ☒io d. rit. par. quidam in pilul. redigunt.

In *nimio ☒ium fluxu* Dolæus (i) ob virtutem diluentem , & acres particulas involventem puellam , per annum & ultra hoc malo vexatam cum succo Betul. per 14. ☒ ad ℥xij singulis ☒ hausto curasse refert.

In *Lochiorum defectu* Hoyer (k) certissimo experimento dilaudat summitates arboris Betul. cum aa segetis Secalin. rec. & gross. mod. ☒ sat. & super prunas pro suffimigio projectas.

In ☒a *incontinentia* , & stranguria Cerevis. Betul. ab Helmont (l) laudatur. Satis efficax etiam est Virga Betul. v. E. N. C. Dec. II. ann. V.

In *Polutione nocturna* ob vim refrigerantem amabilem Clar. Wedelius (m) Synoviam nostram utilem habet.

In *Hæmorrhoidibus nimis* ramenta Fungi Betul. imposita fluxum sistere scribunt Th. Bonetus (n) Zimar. (o) & Franck de Franckennau. (p)

In

(b) l. c. (c) l. c. p. 573. (d) act. Hassniens. vol. 1. obs. 19. (e) de arborib. (f) Quadrip. Botan. p. m. 30. (g) Flor. Boruff. (h) Botanol. med. p. 129. (i) l. c. p. 898. (k) E. N. C. Dec. III. ann. VII. & VIII. obs. 182. p. 301. (l) l. c. (m) diss. inaug. de Polut. noct. 1667. Jen. hab. (n) Polyalth. Tom. II. p. 665. (o) Antr. magic. medic. P. I. p. 119. (p) Flor. Franc. rediy.

In *Venere languida*, & impr. in *impotentia*, dum misero carmen & herba nocet, i. e. ob incantatione per lignum quernum inducta, Synoviam, mictumque per scopas Betulin. suadent. confer. Helmont. (q) Eb. Gockel. (r) & Nenter. (s) Cæterum & virgæ Betul. ad corpora amore lassâ excitanda satis celebres deprædicantur. Unde iis Romani in Lupercalibus, quæ turpis pompa! usi fuere: Huc Ovidius respicit cantans:

Excipe fœcunda patienter verbera dextræ,
Jam facer optati nomen habebis avi.

In *calculo Renum & Vesicæ* magno Betulæ Synovia est in pretio: Operatur autem arenulas renum non saltim, sed & calculum, expellendo, & fibras ab iis crispatas laxando. Exhibetur autem vel per se, vel in medicamina artificiose parata. Charleton (t) Synoviam associat Cerev. bene lupulat. Dolæus (u) destillat ∇ Betul. cum sem. Dauci. D. de Bernitz l. c. præparat exinde Sorbettam & infusum ligni nephritici. Meo iudicio lignum etiam Betulæ quod & Etmüll. (x) lignum nephriticum Europæum audit, in hoc malo non inutile est. Præter hæc Pelargus (y) notat, daß ein gewisser Calculosus, statt eines Præservativs contra calculum, \ominus Betul. & Clavell. mit Nutzen gebraucht habe. Quo scopo & \ominus Betulæ commendandum.

Articulus II. In Morbis externis.

In *aurium affectibus* $\circ\circ$ seu liq. $\circ\circ$ fus, papyraceo cortice elicitus, cum bombace inditus insigniter convenire dicitur.

In *morbis oculorum*, impr. ruboribus, albuginibus, cicatricibus &c. liquor, è ligno usto effluens, à multis laudatur, c. ∇ Fœnic. Euphras. &c. mixtus.

In *cacitate* $\circ\circ$ Betul. Reusner. (z) medicamen habet probatissimum.

(q) l. c. (r) Tr. vom Beschreyen und Bezaub. c. 5. p. 93. (s) l. c. p. 461.
(t) Spirit. Gorgon. vi sua Saxip. exut. p. 179. (u) l. c. p. 614. (x) Coll. Pharm. in Schr. (y) Observ. Clinic. III. Jahrg. p. 246. (z) Observ. medic. à Velsch. edit. p. 42.

In *facie impuritatibus* ▽ Betul. dest. admodum conveniat, inter diu, & præsertim mane, ubi quis è lecto surrexit, & vesperi cubitum iturus, si faciem eo lavet, atque sinat eam sponte sua non detersam siccescere.

In *Achoribus*, si crusta furfuracea adest, lixivium è — [] Betul. Fumar. & Saponar. parare suadet Cl. Salzmanns. (a)

In *Strumis* schreibt Jo. Agricol. (b) dem Schwamm eine sonderliche Krafft zu, so man solchen in Wein oder Bier legt, und stets davon trincket.

In *omnibus sanguinis fluxibus* fungum Betul. multi utilem esse perhibent. Ott. Tachen. (c) refert, cessasse hæmorrhag. narium incantamenti instar, ubi quis fungum manu tenuit, usque incaluit.

In *Podagra & arthritide* ▽ Betul. pro cura, uti loquuntur, bibita, multum ad sanitatem his morbis obnoxiorum contribuit, teste Friccio: (d) Acidum n. podagricorum sub [] æ vehiculo eliminat. Majores vero vires experiantur ii, qui simul balneum ex eodem, injecto formicarum acervo, parant, experientia Etmüll. & König. l. c. K. F. Paullini (e) schreibt, es hätte ein Geistlicher wider seine oftmalige auch jezuweilen lange anhaltende Podagrische Fuß-Schmerzen zwar allerley versucht, aber nichts bewährters befunden, als wann er mitten in der Qual die Füße mit frischen Bircken-Ruthen hurtig und biß auf das Blut streichen ließ, alsdann die Füße in eine Gelte voll frischem warmen Kuhmists eine gute Weile setzte, da er dann fühlte, daß die Schmerzen außdämpfften und sich verzögen.

Dura aliquis præcepta vocet - - , dura fatemur
Esse, sed ut valeas multa dolenda feres.

In *Scabie* cæterisque humorum impuritatibus ▽ Betul. apprime convenit Curiosorum Oribasii Excell. Lentilii (f) & Ridlini testimonio, (g) quod viscerum intemperiem mitiget, materiam vitiosam ad
exte-

(a) annot. MSct. in Consp. Chirurg. Jo. Juncker. Tab. 43. (b) Chir. parv. Tr. V. (c) de morb. princip. p. 166. (d) Ic. Podagr. p. 136. (e) Flagell. Salut. c. 12. p. 105. (f) Miscell. med. Pract. P. II. p. 57. (g) Obs. med. Cent. alt. XXV. p. 66.

exteriora moveat , & fomenta subtrahat , quo minus fermentum scabiosorum se possit multiplicare. Notat Ectmüller. l. c. & R. J. Camerarius (h) adeo purificare M. S. , ut usu suo quosdam scabiosos reddiderit , dum sc. heterogenea \ominus ia ex sanguine secreta , & intra cutim defixa , pathemata illa scabiosa produxerunt. Præter hæc Wedel. (i) suadet balneum ex fol. Cort. & libro Betul. paratum addito \square o crud. & \odot o , quo & Sim. Paulli (k) matronam scabie pruriginosa universali ex contagio contracta laborantem liberavit.

In peste utiliter in suffimigiis cortex Betul. adhibetur , cujus pro fumo purarum & impurarum ædium specimen habemus ex Histor. morbor. Utrav. apud Paulli. (l)

Sectio V. OECONOMICA.

Caput I. De usu Betulæ in re culinari & cibaria.

Multa Betula mensis culinisque præbet commoda , & emolumenta , præter quod det ligna avidis materiemque focus. Suppeditat enim potum vastas sylvas peragrantibus suavissimum. Ad præservandos caseos à vermibus & tineis Synovia , aut ∇ a dest. fol. , vel lixiv. è cort. cinere paratum , à matribus familias adhibetur. M. S. Schellhammerin (m) rathet dem zähen Wein zu helffen , daß man 3. birckene Kohlen nehmen und in das Faß werffen soll. Eadem (n) heist den Essig zu stârcken , und saur zu machen birckene Rinden , geröstet Brod , und ein wenig Myrrhen , wann es noch gieret , hinzu zu thun. Hartmann. (o) docet quod Betula humotenus ad radicem secta & cum ∇ a calid. fermento permista , perfusa intra paucos dies fungos producat esui gratos.

C 3

Caput

(h) dissert. de Baln. Blasiano p. 19. (i) dissert. med. de scab. Jen. 1674. habita. (k) Quadr. Bot. p. m. 30. (l) ibid. (m) in der vwohl-unterviesenen Köchin zufälligen Confect-Tafel. p. 138. (n) l. c. p. 220. (o) not. ad Basilic. Chymic. Croll. p. m. 443.

Caput II. De usu Betulæ in re hortensi.

Betula nostra nec in re hortensi pondus est inutile , sed varia hic etiam emolumenta optabilia præbere potest. Scopas betulinas contra erucas , cæterosque herbarum inimicos aliis remediis magis proficuos D. Hübner (p) deprædicat. Cum dein in re hortensi non ultima cura sit hortulanorum , qua ratione hortis amœnitatem concilient , notasse juvabit , in Hollandia Betulam hoc scopo diligentissime coli , & duplici scrobibus longo ordine figi. Commendat enim se corticis argentei splendore , pendulorum ramorum patore , tremulorumque foliorum virore. Unde non satis laudandus in Poësi Germanica Brockes (q) nostræ arboris amœnitate captus canit :

Es schimmern hier in dunckeln Gründen,
 Wann sie der Sonnen Licht bestrahlt,
 Der schlancken Bircken weisse Rinden,
 Als wären sie mit Silber übermahlt.
 Hier bieget sich manch Knotten-reicher Ast,
 Durch seiner Blätter Meng und Last,
 Gleich als mit Macht herab gezogen,
 Macht manchen schattichten , manch dunckel-grünen Bogen,
 Und stärckt durch seine Dunckelheit die Augen,
 Daß sie das helle Feld,
 Da wo es selbst der Sonnen Strahl erhell't,
 Viel deutlicher durch sie zu schauen taugen.

Præter hæc etiam aliis plantis non raro ab hortulanis pro fulcimento applicatur , qua occasione D. Clauder (r) ex baculo Betulæ jam exsiccato , viti novellæ admoto viridem vitis ramusculum est trunci sui medio protrusum vidit.

Caput

(p) der Sammlung von Natur und Medic. IX. Versuch p. 244. (q) l. c. p. 187. (r) E. N. C. Dec. II. ann. VI. obs. 170. p. 343.

Caput III. De usu Betulæ vario.

Subjungemus denique Betulæ nostræ diversi generis minimo quæ maxima sumtu emolumenta ferat. Bacilli Betulæ colligati appendentibus simul securibus olim suppeditabant Romanorum Magistratum insignia & dignitates, Fasces, teste Cordan. Mediolan. (s) Hodie vero arbor nostra virgis in foro facinorosis terribilis est. Veteribus magno fuit in pretio, quod ex hac habuerint, quibus opera sua inscribere, fide Tragi l. c. Nostra ætate nil magis tritum est apud Pædagogos Betulæ virgis, quorum nonnulli etiam julos ad conservandum humidum illud nobilissimum, atramentum sc. scriptorium, colligunt. Antiquis temporibus solenne fuit Christianis Betulas juniores festo Pentecostes, lætitiæ, pietatis, ornatus & dignitatis ergo, in templis erigere, quod & multi adhuc imitantur. vid. Königmann. (t) Ridiculum est, quod D. Weygand (u) de rusticis Curonicis refert: Es seye bey ihnen der wöchentliche Gebrauch, daß sie sich, theils auß Plaisir, theils auß Raison, um den Unflat des Leibs loß zu werden, die Gesundheit zu conserviren, ihre Glieder geschmeidiger zu machen, und den Schweiß eher zu befördern, im Baden mit birckenem reifflichem Gebäude (so sie Bade-Quäste oder Slohte nennen) in einer starcken Hitze von einer Magd das Leder am gantzen Leibe tapffer durchstreichen und gerben lassen. Præter hæc tota arbor artificibus sese commendat. Pictoribus fol. Betul. ad colorem luteum, Schüttgelb dictum, sunt expedita, sit vero h. m. R. fol. Betul. noviter erumpent. affund. ∇ æ l. q. coq. per \times integram: add. deinde Cretæ præpar. & \circ q. p. coq. denuo, col. per lintheum, colatura stet, donec crassa pars fundum petiit, postea ∇ m supernatantem decant. materiamque relictam in umbra sicc. Vietoribus trunci Betul. circulos ad dolia cingenda porrigunt. Carpentariis duri & crassiores caudices ad axes & obsides, item ad Ephippia existunt utiles. Alutariis Axungia Dagget ad emollienda coria expedita est. Scrinariis ex-

crescen-

(s) L. VIII. (t) dissertat. de antiquitat. & usu Betul. Pentecostal. &c. Kilon. 1702. habit. (u) l. c. p. 529.

crescentiæ tuberosæ , Bircken - Masern oder Kröpffe dictæ , ob intortum crispumque maculorum discursum (weil die Adern sehr kraus durcheinander lauffen) prius ∇ i maceratae ad varia scrinia , cantharos , fistulas pro Tabacophilis , calices &c. aptissimæ sunt. Chymicis carbones Betulini accommodatissimi , quod vivacem ignem diu retineant , & caput non tentent , ut alii , qui tenuem exhalant nebulam , fumosque nocentes. Cortex in probatione ∇ rum mineral. ad ♂ præsentiam demonstrandam adhibetur. Pastoribus cortex junioris Betulæ utilis ad conficienda cornua musica , quibus sylvestrem gregi meditantur musam. Cæterum aurigis , aliisque noctivagis delibratus fisso bacillo interpositus cortex & accensus ad rura lucernarum vice accendenda familiaris est.

* * *

Sunto itaque hæcce , quæ ratione instituti præsentis & temporis , crassa ut ajunt Minerva , de arbore Betula conscribere licuit. Pro clementer vero concessis viribus

CREATORI MAGNO,
ET
CONSERVATORI,
DOMINO,
QUI
* PRODUCIT FOENUM JUMENTIS,
PLANTAS SERVITUTI HOMINUM,
ET
LIGNA CAMPI SATURAT,
DEO TER OPTIMO MAXIMO
SIT
HONOR , LAUS , ATQUE GLORIA
IN HOC SOLO , ET IN FUTURO SEculo ,
UBI VOCABIMUR
** ARBORES JUSTITIÆ
AD GLORIFICANDUM.

* Psalm. 104. v. 14. & 16. ** Jes. 61. v. 3.

D Elicias *Floræ Ulmensis* meditaris , &
isthæc
Semylogia Tuas vult dare Primi-
tias.

Gratulor hos studii fructus ! *Patria Alma* , labori
Applaudens , meritis præmia digna dabit.

*Nobiliss. Dn. Candidato prospera quævis
ex animo precatur*

ELIAS CAMERARIUS , Fac.
Med. h. t. Dec. Conf. & Arch.
Wirt.

D Um *Vires Betulæ* , dum magnos arboris *Usus*
Eximiæ in medicis , dulcis Amice , doces :
Sedulitatis habes *fructus* simul atque laborum ,
Ingeniique probas fertilioris *opes*.
Sit *Betula* ergo TIBI (quod docte ostendis) *honoris*
Perpetui testis , lætitiæque comes.
Ut sic dum *tylvæ Betularum* fronde coruscant ,
Et decus & nomen floreat usque TUUM.

*Ita Nobiliss. Dn. Candidato Leopoldo , Fantori atque Amico
suo æstumatissimo de Betula disputanti applaudit & per-
actum feliciter studiorum medicorum cursum gratulatur*

JOH. FRID. MEGENHARD , Med. Cand.
Opponens.

A Ccidit optatam studii Tibi tangere metam ,
Jam video lætus præmia parta Tibi.

D

Applau-

Applaudo, totoque libens ex pectore grator,
Undique sis felix, suavis Amice, precor.

*Hisce Nobiliss. Dn. Candidato memoriam sui com-
mendare & bona quævis apprecari voluit*

JO. LEONH. BURGLEN, Ulm.
J. U. C.

DUm Betulæ quæ sit virtus exponis, Amice,
Ingenii vires hocce labore probas.
Eja, persequere hos conatus, atque capeffe
Quæ Tibi doctrinæ gloria ferta ligat.
Quod superest, porro cedant, precor, omnia faufte
Et meritos plausus det Bona Turba Tibi.

*Ita Clariss. Dn. Candidato de Betula egregie scribenti
atque docte differenti, specimen hoc gratulatur
& post felicem in patriam reditum fata ad vo-
tum fluentia precatur*

DAVID BAUR, Ulmens.
Theol. Studios.

DUm cupis eximiam studiorum ponere metam,
Musarum dulcis gaudeat ipsa cohors.
Gratulor ad Praxin! quæ non nisi fausta sequatur,
Gratulor ac Patriæ! Gratulor atque Tuis.

*Ita Nobilissimo atque Doctissimo Dno. Respondenti,
Amico suo suavissimo gratulatur, sui que ulte-
riorem memoriam decenter expetit*

WOLFFGANG RAYMUND MAYER,
Legum Cult.